



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117840**

§. 21. Heraclii Ectesis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66082)

Sæculum VII redarguunt, quod aliqui eorum Paschale  
A. C. 640. Festum decima quarta Lunæ cum Judæis  
 observarent, & quod Pelagii Hæresis inter  
 eos reveheretur. Erant enim, qui  
 asserebant, quod homo sine peccato per  
 propriam suam voluntatem & Dei Gra-  
 tiam esse possit. Id refutant ex eo, quod  
 solus JESUS CHRISTUS a peccato sit exem-  
 ptus, ceteris omnibus saltem peccato  
 originali infectis.

## §. XXI.

*Heraclii Ecclæsis.*

**J**oannes Papa convocato Concilio Mo-  
 nothelitarum Hæresin, quam Hera-  
 clius Imperator edita Ecclæsi stabilire  
 moliebatur, damnavit. Erat hæc Ecclæ-  
 sis Edictum a Sergio Patriarcha Con-  
 stantinopolitano concinnatum anno 639.  
 Indictione duodecima, præfixo Impera-  
 toris Nomine. Græce appellatum est  
 Ecclæsis, id est, Expositio; cum nihil a-  
 liud esset, quam explicatio Fidei Catho-  
 licæ post exortam disputationem de una  
 aut duabus in JESU CHRISTO Operationi-  
 bus. In exordio ponitur Confessio Fi-  
 dei de Trinitate, quæ Catholica est.  
 Deinde explicatur Incarnatio, clare di-  
 stinctio duarum Naturarum docetur,  
 & affirmatur unitas Personæ. Tum con-  
 cludit Auctor: *Omnes Operationes JESU  
 Christi Divinas Humanasque Verbo In-*  
*carnato*

*Theoph. an.*  
 20. p. 75.  
*Conc. Lat.*  
 Secr. I. to. 6.  
*Conc. p. 38.*

*Ibid. Secr. 3.*  
 p. 195.



carnato tribuimus, & non permittimus, ut aliquis unam duasve Operationes affirmet aut doceat; sed potius Doctrinam Conciliorum Oecumenicorum sequentes dicimus, unicum & eundem esse Jesum Christum, qui res Divinas Humanasque operatur, atque tam has quam illas Operationes ab eodem Verbo Incarnato sine divisione & sine confusione procedere. Nam affirmatio unius tantum Operationis, quamvis in non nullis Patrum legatur, suspecta est quibusdam timentibus, ne ideo affirmetur, ut duæ Naturæ unitæ in Jesu Christo destruantur. Pari modo vox duarum Operationum multis scandali occasio est, quia nullus ex præcipuis Ecclesiæ Doctorebus ea usus est, & inde sequitur, duas in Jesu Christo Voluntates contrarias esse admittendas, quasi vero Verbum Passionis suæ consummationem desiderasset, & Humanitas repugnasset; ita ut admitterentur duæ Personæ contraria volentes, quod impium est dicere, & a Doctrina Christiana alienum. Si enim infamis Nestorius, quamvis Incarnationem divideret, & duos Filios induceret, non ausus est dicere, eos habuisse duas Voluntates, sed contra in duabus Personis, quas fingebat, unam eandemque Voluntatem confessus est, qua ratione Catholici, qui unicum Jesum Christi

Sæculum VII  
A.C. 640.



*Sæculum VII<sup>stum</sup> confitentur, duas in eo Voluntas  
A. C. 640. & quidem contrarias admittere possint?*  
*Hinc in omnibus SS. Patrum Doctrinam sectantes unicum Voluntatem in Jesu Christo confitemur, & credimus, Carnem ejus Anima rationali præditam nunquam separatim & ex se ipsa motum naturalem habuisse contrarium Spiritui Verbi, quod sibi secundum Hypostasim erat unitum. Talis est Heraclii Ecclæsis, ubi licet statim prohibeat, unam aut duas Operationes affirmari, postea tamen simpliciter contendit, unam tantum in Christo esse Voluntatem, in quo proprie Hæresis Monothelitarum consistit. (\*)*

## §. XXII.

*Ecclæsis a Sergio & Cyro recipitur.*

**S**ergius Patriarcha Ecclæsis præcipuus Auctor convocato strenue Concilio, Constantinopoli celebrato, eandem confirmavit.

(\*) In eo omnino consistit; sed præterea affectant dicere, ex SS. Patribus aliquos, quos nullatenus damnant, unicum Operationem affirmasse, atque ex consequenti, non ideo ab hac voce abstinendum, quasi falsam Doctrinam contineret, sed tantum ut quorundam (scilicet Catholicorum) ruditati consuleretur. Cum contra Monothelitæ in sanam Theologiam peccent, putantes, duas distinctas Naturas sine distinctione Voluntas defendi posse.